

363

361

367

357

372

352

412

312

462

262

Ende

Anfang

348

de his tangam, sed tantum quae loca templi sancti occupent
gentes illae, brevius dicam.

De Latinis catholicis.

Latini Christiani primi et veri catholici, qui a Sarracenis
nominantur Franci, hoc templum inhabitant, et sunt orthodoxi
fide, devoti professores, viri religiosi, fratres minores, qui
Conventum habent, ut dictum est, in monte Syon, multorum
fratrum, (134 A), XXIII scilicet, vivuntque rub regulari sui
Ordinis institutione, de eleemosynis devotorum peregrinorum
illuc ex terris Christianorum venientium, et aliorum quorun-
dam principum fidelium, qui sacrorum locorum devotione et
pietate christiana moti annuas suas illis transmittere ele-
mosinas non negligunt. Nam felicis recordationis quondam
dux Burgundiae Philippus censu annuo mille ducatorum
subsidio, dum vixit, pro sua salute ad loca sancta contulit
devotione ac fratrum Deo ibi servientium sustentatione.
Quod et filius ejus Carolus, dum fuit in humanis, etiam fecit.
Sed et successor ejus modernus, Dominus illustrissimus et
victoriosus, dux Austriae et Burgundiae Maximilianus, nunc
recenter rex glorioissimus Romanorum creatus, ipsum idem
suorum imitatur exemplum praedecessorum in ducatu Burgun-
dia, transmittens fratribus consueta subsidia. De his fratri-
bus et eorum Conventu vide in visitatione locorum montis
Syon inter septa monasterii, sub die XIII. hujus mensis, et
singulariter fol. 96. B. et fol. 108. B.

Hi fratres loco Latinorum omnium ponunt ad minimum
tres de suis in ecclesiam sancti sepulchri, sanctissimi monu-
menti custodes, qui die ac nocte ibi manent et totum corpus
ecclesiae romanae et latinae repraesentant, quibus fratres
montis Syon necessaria per foramina portae ecclesiae porri-
gunt. Habent autem in ipso templo potissima et sanctissima
loca. Nam claves dulcissimi Domini Jesu sepulchri et spe-
luncae ipsi habent, ipsumque aperiunt et claudunt, cui volunt,
et in eo Missas celebrant, quando placet. Nec audent sacer-
dotes aliarum sectarum in eo celebrare, nisi de Latinorum
expressa requisitione et licentia. Qualiter autem haec tam

